

1648, 3 # 510
12
Quod Deus Opt. Max. felix fortunatumque
esse velit!

HANC DISPUTATIONEM JURIDICAM INAUGURALEM
DE

CONSTITVTIONE FEUDI,

Sub Auspicio SSctæ Trinitatis,

ex

Decreto & Autoritate

Magnifici & Amplissimi Jctorum Ordinis in illustri Salana,

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO atq; CONSULTISSIMO,

Dn. CHRISTOPHORO PHI-
LIPPO REGGERN/ J. U. D. Comit. Palat.

Cæsar. Codicis Professore Publico celeberrimo,

Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ Seniore, Curie

Provincialis & Scabinatus Assessore gravissimo,

Promotore & Patrono suo quovis honoris

cultu ætatem prosequendo,

PRO LICENTIA

In UTROQUE JURE obtinendi summum DOCTORATUS
gradum,

In Auditorio Jctorum

Publico examini submittit

JOHANNES LANGUTH, VValtershuf-

nus, Illustr. Curie Saxo-Gothanæ

Advocatus,

ad diem 11. August. horis consuetis.

JENÆ

E CHALCOGRAPHICO FREYSCHMIDIANO

ANNO M. DC. XLVIII.



SERENISSIMO NEC NON CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. ERNESTO
DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM, LANDGRAVIO THURIN-
GIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, COMI-
TI DE MARCA ET RAVENSPVRG,
DOMINO IN RAVEN-
STEIN,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

disputationem hanc inauguralem
humilimè offero

&

merito

debita ex animi Subjectione
consecro

Johannes Rangueth.
A. & Resp.



Siv Oca

Nlos equidem in casum laborare, jubar meridianum qui certant facibus illustrare, quotusquisq; ignorat? Operam sanè & ego perderem, si Feudorum, (quæ, si id quod res est dicere volumus, Romani imperii fulcrum sunt & lumen,) utilitatem, pari conjunctam cum difficultate, verborum lenociniis reddere studerem commendatam, cum largo semetipsam fœnore ostendat, & nativo suo fulgore omnium oculorum aciem perstringat. Eò igitur annitar potius, ut imitamine Sacratiss. Imp. Justiniani in **NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI** ad rem ipsam me accingam.

THESIS I.

PRinceps & primarius, quo feudum constituitur, investitura recensetur modus, utputa, quæ signum necessarium est feudi. *Roland. à Valle conf. 50. n. 9. volum. 3. Conf. 1. n. 9. volum. 4. & sine qua feudum nullo modo potest constitui. 1. F. 25. pr. Roland. à Valle. d. Conf. n. 49. volum. 4.* Fusius inde de ea tractandi, ansam præbuit ingens ejusdem in foro usus.

II. Cùm verò JCTI fermè omnes hoc solemne teneant, ut materiæ propositæ exordium à nominis notatione incipiant, verborumque originem anxio oculo perquirant;

A 2

eorum

eorum filium ductumque hâc vice quoque secutus ego, investituræ cunabula, cum *Schultz. in Synops. Feud. c. 9. n. 5.* & aliis Dd. ab investiendo deduco, eò, quod vasallus per eam possessionem, tanquam veste quâdam induatur. *Bocer. de investit. c. 1. n. 15.* Hinc eos, qui feudo privantur, divestitos, & actum, quo vasalli eò destituuntur, divestituram vocitari, rectè adstruxit *Nicol. Inrigliol. quest. feud. 56. n. 294.*

III. Quandoq; tamen investitura brevè significat testatum, *Den Schubrteff, 2. F. 18. in fin.* nonnunquam feudi possessionem. *2. F. 2. pr. Dn. D. Arumæus. p. m. disse. feud. 15. th. 4.* interdum etiam ipsum investiendi actum. *Bocer. de investit. c. 2. n. 12.* quamque acceptionem primi disputationis hujus meæ membri esse objectum, ex dicendis apparebit clariùs.

IV. Investitura præterea appellatur investitio, *1. F. 26. § 28.* Infeudatio item, nec incommodè; Si enim ejusmodi actus, quo vasallus feudum, quod tenet, vel totum, vel ejus partem, alteri vicissim in feudum concedit, *1. F. 26. § Si beneficium, § 2. F. 34. § Similiter.* à Dd. rectè subinfeudatio vocatur, nihil sanè obest, quò minus investitura etiam infeudatio dici possit & nominari, Germanicè die *Belehnung*, *Schneidw. de F. p. 4. n. 2.* oder *Lehnempfangnuß*. *Schultz. in Synops. Feud. c. 9. n. 4.* Sed tantum de nomine: circa rem ipsam nunc ero sollicitus.

V. Definitionem investituræ quod spectat, placet eam hunc in modum describere; quòd sit actus sollemnis, per quem Dominus, vel ejus nomine alius, sub præstatione fidei vasallum in feudi possessionem inducit. Generis loco actum sollemnem colloco; hoc namq; evinci potest *ex Tit. 2. F. 2. pr. verbis; Solenniter fieri debet. 2. F. 32. Bocer. d. Investit. c. 1. n. 2.* Addo: Dominus, vel ejus nomine alius; ut feuda conferendi licentiam non nisi rerum suarum moderatoribus, vel quibus hi potestatem fecerint, competere innuam. Subjicio, *in feuda possessionem*, ut patescat, res solummodò immobiles infeudari posse. *2. F. 1. vers. Sciendum. Schneidw. de F. p. 1. n. 29.* vel solo cohærentes, aut quæ inter immobilia connumerantur.

2. F. 1.

2. F. i. *infra*: Per verba tandem, sub præstatione fidei; differenti-
riam specificam indigitò, cum solà in fidelitate tota feudi
substantia vergat & consistat. *Wesembec. de Feud. 8. n. 19.*
Cætera in definitione adposita verba, cum in subsequenti-
bus uberiore calamo explicare stet sententia, ut longiore verbo-
rum luce illustrem, à me impetrare non potui, ne una fidelia
duos dealbare viderer parietes.

VI. Discussa per brevibus hisce definitione ràm nomina-
li, quàm reali, ad pleniorè materiæ intelligentiam præci-
puas ejusdem divisiones strictim subjungere commodum,
jam nunc erit. Et cæteris omis-
sis, dispefitur investitura
1. in propriam & abusivam 2. F. 2. *Ritter sb. part. Feud. p. 1. c.*
8. n. 3. 2. in eam, quæ fit de Feudo novo, & quæ de antiquo.
2. F. 3. *pr. Schulz. in Synops. feud. c. 9. n. 12. & 13.* 3. In simul-
taneam & singularem. *Boet. de investit. c. 2. n. 84.*

VII. Investitura propria vera & solennis est rei in
feudum concessæ traditio. *arg. text. 2. F. 2. pr. Wesembec. c. 8.*
n. 11. Impropria verò seu abusiva (*vocatur etiam hæc nonnun-*
quam ceremonialis, Calvin. in Lex. Jurid. voce Investitura. Si-
gnificativa. Wesembec. p. 3. Cons. 124. n. 15. verbalis item & imagi-
naria. Anton. disp. Feud. 4. th. 3. lit. E.) Cùm Dominus vasallo ba-
culum, gladium, hastam, vexillum, anulum vel quid ali-
ud corporeum porrigit, & hoc modo se investituram fa-
cere dicit. 2. F. 2. *pr. Finckelth. disp. feud. 7. th. 2. lit. D.*

VIII. Appellatur abusiva, quod per traditionem
baculi vel gladij possessio rei feudalis in vasallum non trans-
fertur, maxime si non fit in re presenti. Proinde vasallus
hoc in passu necesse habet, ut ad traditionem rei feudalis
agat. 2. *Feud. 26.* quo factò Dominus præcisè ad tradendum
obligatur, nec liberatur præstando id, quod interest. *d. l.*
Roland. à valle. Cons. 84. n. 23. Dolum. 1. Mynsinger. Cent. 4. ob-
serv. 61. Tiraquell. in l. Si unquam. super verbo revertatur. n. 76.
cum seqq. C. de revocand. donation. Sed cogitur mittere
in possessionem. Schurff. Cons. 15. Cent. 1. Hartm. Pistor. quest.
19. n. 1. & 2. Secus tamen est, si investitura hujusmodi fiat

in re presenti, i. e. fundus praesens fit, & subjiciatur oculis; ibi enim possessio statim transfertur, nec opus est ulteriore ad tradendum petitione. *Roland. à valle Conf. 51. n. 32. vol. 2. Alvarote. n. 7. quid sit investitura.* Rei namque praesentia facit, ut tradita ejus possessio videatur; Cum apprehendatur possessio non solum manibus & pedibus, sed etiam oculis, quasi longis manibus. *l. 1. §. Si jusserim. l. quod meo. §. Si venditorem. de acquirend. possess. Tiraquell. in tract. de jure constituti possessorii p. 2. limit. 3. n. 2.*

IX Definitionem investiturae feudi novi, circa quam etiam potissimum hanc in disputatione ero occupatus, cum supra pluribus deduxerim, ne crambem bis coctam adponerem, supersedeo hic uberius explicare. Investitura autem feudi veteris, quae rectius renovatio investiturae dicitur. *Wesembec. p. 2. Consil. 64. n. 3.* confirmatio est investiturae primae, per quam id agitur, ut feudum redintegretur. *Vult. de F. l. 1. c. 7. n. 59. Sed quaestio est, Novane an renovata sit investitura, si de feudo ad Dominum reverso vasallus, seu ejus agnati denuo investituram accipiant?* Et novam esse, omnino fatendum. *Antho. disp. Feud. 1. th. 5. lit. B.* nisi forsitan Dominus in investitura dicat: feudum tibi pristino jure reddo: tunc enim antiqui sapere naturam, recte approbat *Rosensh. de F. c. 2. concl. 19. n. 1.*

X. Investitura simultanea, vulgò die gesambte Hande ober die sambte belehnung. *Webner. in observ. Pract. verb. gesambte Hande* quamquam nova & in Romano caelo inaudita venditur à plurimis, ab iis praecipue, quibus apices quovis minutissimos nota perstringere censoria solenne est; at tamen sufficiat mihi, ipsa consuetudine ac usu communi, penes quem, ut ait Poeta Venninus in arte *Poet. arbitrium est & vis ac norma loquendi,* passim eam esse receptam atque approbatam. Cum enim de Jure Saxon. jus succedendi hoc in passu, agnatis denegatum sit. *l. huc. art. 21. v. 1. Es lebes auct.* Consequenter vasallo sine filiis defuncto, feudum ad Dominum deveniat, *Boyer. de Investit. c. 2. n. 87.* investitura
haec

hæc merito est inventa, ut agnatis & collateralibus quoque in successione relinquatur locus. *Schulz. in Synops. feud. c. 8. n. 132.* imò vigore ejus personæ etiam penitus extraneæ ad feudi successione admittantur. *Carpzov. d. constit. 45. defin. 17. n. 14.* Definiri vero potest, quòd sit actus sollemnis, quo Dominus feudi cum consensu possessoris unam vel plures volentes de feudo investit, ut tam propriè investitus & possessor quam simultaneè investitus, illud simul habeant, & in eo sibi invicem succedant. Effectus itaque investituræ hujus est, ne possessore defuncto feudum Domino aperiatur, sed ad investitos statim devolvatur. *Hartm. Pistor. par. 2. quæst. 20. n. 2. § 38.*

XI. Singularis ultimo loco investituræ quoque facienda esset mentio, verùm cum ex hæcenus dictis de ea abundè cuique constabit, rem ipsam potiùs amplexabor. Et ut ordine progrediar, investituram facere possunt omnes, qui liberam de feudis conferendis disponendi, i. e. legitimè bona sua administrandi, habent licentiam. *2. F. 3. pr.* Sed hæc qui gaudent, unius generis non sunt: aut enim Ecclesiastici sunt, aut seculares. De illis utpote dignioribus, motus *S. fin. f. d. f. N. G. § C. l. 1. de alb. scribend.* prius, postea de cæteris sermonem instituturus sum.

XII. Priores itaque quòd attinet, cùm inter ipsos principatum sibi vindicet Pontifex Romanus (qui, ut *Scævola vult, dictus est à posse & facere, quod rerum penes eum summa esset potestas*) quæstio exurgit haut inelegans; Num de Ecclesiæ bonis feuda constituere valeat? quod affirmo; quia licentia infeudandi competit Archiepiscopo. *tit. 1. in pr. tit. 3. 1. F. tit. 35. 1. F.* Papa verò est Archiepiscopus Ecclesiæ Romanæ, *argum. C. in tantum. 9. dist. 31. Ergò.*

XIII. Pontificem hunc excipiunt Prælati, Primate, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Clerici, qui omninò omnes de propriis æquè ac Ecclesiæ bonis, non tantùm extraneos, sed imò consanguineos, siquidem antiquitus consuetudinem habuerint investiendi, licentiam obtinent. *arg.*

C. 2. C. 117.

c. 2. error. de feud. tit. 35. § 91. 2. F. Etenim expedit quandoque, ut de iis bonis, quæ abundantia sunt, sibi vasallos comparat Ecclesia, ut forsitan si bellis affligatur, quia ipsa non arma gerere, sed precibus & lacrymis tanquam Ecclesiæ armis, studere debet, *c. non pila 23. q. 8.* viros præsto habeat bellicosos, quorum auxilio hostium insultus repellere, & refractarios in obedientiæ gyrum reducere potis sit: Nec est, ut hoc in passu Capituli consensum tam anxie expectent, modo videant, ne quid detrimenti capiat Ecclesia, aut contra consuetudinem antiquitatis observatam aliquid innovetur. *Finckelbaus. disp. f. 3. contr. 2.*

XIV. De Monachis queritur, utrum inter clericos sint numerandi? & quanquam mihi constet, eosdem latissima Clericorum appellatione venire: Sacratiss. tamen Impp. Constitutiones adfirmant, Monachos clericos non esse, *l. generaliter. C. de Episcop. & Cler.* hinc Monachus clerico opponitur. *l. si quis presbyter. C. eod. l. addictos. C. de Episcop. aud.* Justinianus insuper separatim de Monachis & Clericis tractat, ut ex *Novell. 6. & 7.* videre licet: Proinde eos à superioribus exclusos volo. Et qui investituram hi facere poterunt, cum dominio rerum suarum penitus sint orbati, eò quod in statum Monasticum semet ipsi fuere adscribi? Non entis enim nullæ sunt qualitates.

XV. Ecclesiasticis succedunt seculares, qui vel mares sunt vel feminae; Mares, qui vel alicujus superioritatis, vel nullius respectu investituram faciunt. In illorum classe primus merito locus assignandus venit Divo Imperatori: De hoc cum dicatur, quòd caput sit secularis Jurisdictionis, omnium Magistratum causa prima, imò, corporalis Mundi Deus, eminens super omnes, tanquam stella matutina in medio nebulae meridionalis. *Matth. Steph. de Iust. l. 2. p. 1. c. 1. n. 48.* dubitandum utique haud erit, quin de patrimoniis atque propriis bonis liberum feuda concedendi habeat arbitrium.

XVI. Aliud tamen videtur dicendum de bonis Imperii

perii, tum ipsius concedentis, tum rei concedendæ respectu.
 Ratione quidem concedentis: I. quia Imperator præficitur
 Imperio ut Administrator, quemadmodum ipsemet fatetur
in Recess. Imp. de anno 1559. ibi; Und vñ mit der Bürde der
 Administration vnd Verwaltung des Heiligen Reichs beladen
 lassen. Cujus autem curæ concredita est administratio,
 is alienandi facultate caret. *l. 63. ff. de Procurat. c. 2. extr.
 de donat.* II. quia Imperatoris officio incumbit, tueri &
 augere Imperium; undè & in *Nov. 11. 30. § tit. 52. § 55.
 2. F. semper Augustus salutatur, Germanis: allezeit mehrer des
 Reichs.* Non ergò debet diminuere Imperium, quod utiq;
 fieret per investituram, cum per eam utile dominium in inve-
 stitum transferatur. *arg. tit. 32. § ult. 2. F. Accedit deniq; III.
 Capitulatio Rudolphi II. cujus tenorem ex authentico scri-
 pto à Magnif. Arumæo Discurs. ad. A. B. 4. th. 16. relatum,
 lectori exhibeo verbis ejusmodi: Was auch von Lehen dem
 Reich vnd vns bey Zeiten vnser Regierung eröffnet vnd ledig
 heimbsfallen wird / so etwas merckliches ertragen / als Fürsten-
 thumb / Graffschafften / Herrschafften / Städte vnd dergleichen;
 die sollen vnd wollen wir niemand verleihen / sondern zu vnterhal-
 tung des Reichs / vnser vnd ander nachkommenden Königen vnd
 Keysern behalten / einziehen vnd incorporiren, biß so lange das
 selbe Reich wider zu Wesen vnd vffnehmen kömpt / doch vns we-
 gen aller vnser Erblande vnd sonsten männiglichen an seinen
 Rechte vnshedlichen. Et huic compactioni consimilis est illa
 Carol. V. quam refert Goldast. p. 2. Reichs sagungen fol. 184.
 & successoris Ferdinandi Imperatoris, cujus copiam exhibet
 prænominatus autor p. 5. Politischer Reichshandel.
 Sect. 1.*

XVII Rei concedendæ contemplatione Imperator de
 bonis Imperii investire non potest, propterea, quia concessio
 hæc, quæ suscipitur de rebus in hominum commercio non ex-
 istentibus, nullius est momenti. *S. 4. l. de Legat. S. 2. l. de Inu-
 tit. stipul.* Imperium verò non esse in Marsupio Principis,
 ita ut ejus jura pessundare, & instar pecuniæ per fenestram

B

ejacu-

ejaculare liceat, docet Bald. in c. intellectu. extra de jure jur. ind.
Ex quibus liquidissime apparet, donationem Constantini, quæ
Italiam & Universalem Jurisdictionem in se translata[m] men-
tionatur Pontifices, *Caus. Constantinus. dist. 96.* ut maxime un-
quam facta esset, ipso jure irritam esse, & quia intercessit de
bonis & juribus ejusmodi, quæ sacri Imperii caput & cor
tangunt, quæque ossibus tantæ majestatis impressa manent,
à quolibet Imperatore adhuc revocari posse. *Reint. d. R. S. &
Eccles. l. i. cl. 2. c. 8. n. 89.*

XVIII. Proximam ab Imperatore sedem occupant
Reges: summam etenim & hi in suis regnis exercent pote-
statem, omniaque ea, quæ Imperatori in signum præminentia
concessa sunt, ut legitimare, famæ restituere, Duces, Marchio-
nes & Comites creare, expedire valent. Dicitur autem Rex
à regendo. *Isid. l. 9. Etym. tit. de regn. & milit. vocabula.* Non
quod ex libidine sua, sed secundum justitiæ regulam subditos
regere, & omnia facere debeat: quod præclare Antigonus Ma-
cedonum Rex testatus est, qui cuidam dicenti omnia regibus
honestas justasque esse, sunt, per Jovem respondit, barbarorum
aut taxat regibus, at nobis ea saltem honesta sunt, quæ hone-
sta sunt, & ea tantum justa, quæ justa. Detestanda hinc vox
Gymnosophistarum Persicorum, qui Cambysi duas sorores
connubio sibi devincenti, & Gymnosophistas consulenti, num
quandoque sororum matrimonia justa & legitima essent, re-
spondere, nunquam quidem ea justa esse, sed alia lege Persa-
rum caveri, ut quicquid Principi placeret, legis haberet vigo-
rem.

XIX. Post Reges insequuntur Capitanei Regis vel re-
gni, quales in Imperio nostro agnoscimus Serenissimos Ele-
ctores, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites. Qui cum
titulo & dignitate perpetua in hæredes transitoria sunt deco-
rati, regulariter omnia ea (exceptis tamen his, quæ Imperatori in
signum Superioritatis specialiter sunt reservata, adeoque medullis ei-
jus inhaerent, ut nulli vel prescriptione vel concessione acquiri possint)
quoad subditos suos exercere possunt, quæ potest Imperator

in universo imperio. Unde vulgatum illud & tritum tam
in foro, quam in scholis effluxit Dd. Theorema; Tantum
posse principem in suo territorio, quantum Imperator pot-
est in universo imperio, *Das ein jeder Fürst Kayser in seinem
Landt sey.*

XX. Agmen claudunt Valvasores Majores, qui, ut
quorundam est opinio, à Valvis, quod ad Valvas Domino-
rum custodiae & reverentiae exhibendae causa stent, vel ut alii
volunt, à Germanico *Wall & vest* nomen sortiti sunt suum,
eosque hodiè Barones esse & nobiles eminentiores, tradit
Bald. ad tit. de his qui feud. dare poss. quem etiam Dd. gregatim
sequuntur, quanquam nonnulli Barones capitaneorum, non
Valvasorum majorum numero accensendos esse, opinentur.
Vult. l. 1. c. 4. n. 14.

XXI. Nullius superioritatis respectu investiunt Val-
vasores minimi vel Valvasini; ut sunt nobiles fortis tenuio-
ris, plebei & pagani, in quorum etiam censum rusticum ad-
scribo. Iniquum enim esset ingenuis hujusmodi hominibus
non esse de rebus suis ad arbitrium disponendi quoque libe-
ram facultatem. *l. 2. in fin. Si quis à parente. § l. dudum. C. de
Contrahend. Empt.*

XXII. Fuerunt maeres, sequuntur famellæ. Et has
quidem ab investiendi licentia arcendas dixerim, nisi con-
suetudo feudalis illas expresse admitteret. *§ Sed etiam. v. Femi-
nam quoq. 2. F. 3.* Etenim ipsa lex divina faminam subjicit
mari. *Gen. 3 vers. 16. 1. Cor. 14. v. 34. Ephes. 5 v. 22. § 24. § Aristo-
tel.* multis in locis edocet, illud demum imperium rationi
convenire, quò præstantior imperat inferiori. Atqui fami-
næ natura, dotes sive corporis sive animi respicias, viris ut pluri-
mum longe sunt inferiores; quod latius persequitur *Tiraq. in
l. 1. connub. n. 55. § seq.* quo respexit *Aventin. qui l. 1. histor. edit.
German. facete scribit: So bald die Weiber regiren, bedeuten es
nichis guts / man schawt nur darauff / es gehet an ey ver-
derben.*

XXIII. Vitiatur tamen feudalis ista, de qua pronu-

per sermonem feci, consuetudo, si feminis ex statuto bonorum alienatio sit interdicta; Prohibitus siquidem alienare, facultate sanè investendi sive infeudandi caret. *argum. pr. 2. F. 8.* Unde pleno quasi alveo sequitur, feminam de jure Saxon. per se, citra Mariti, tanquam curatoris conjugalis, *Ehstehen Vormundes/* vel alterius Curatoris specialiter ad hoc constituti, *Kriegische Vormundes/* consensu vel auctoritate infeudandi copia esse destitutam, *per text. Landrecht: lib. 1. art. 45. v. Ein Weib mag ohne ihres Mannes vrlaub ihr quih niche vergeben. & Nov. Elect. Aug. part. 2. constitut. 15. §. gleicher Gestalt,* nisi forte à persona sit illustris, per ea, quæ tradit *Heringius in Tract. de fide iussoribus. c. 7. n. 57. & seq.*

XXIV. Nihil tandem interest, ipse Dominus, an ejus nomine alius investituram conferat. *2. F. 3. circa fin. Wesenbec. c. 8. n. 12.* In feudis tamen Imperialibus, quæ per vexillum dari & Fahnen lehu appellari solent, procurator non admittitur, cum expressè in *A. B. Car. IV. tit. 5.* cautum sit, ut ejusmodi investitura vel ab ipso Imperatore, vel Rege Romano conferri debeat. *Anthou. Diss. Feud. 4. th. 4. lit. B.*

XXV. Investituram accipiunt omnes, quibus acquisitio bonorum feudalium legibus non est interdicta. Et tenenda hîc est conclusio generalis, quam *Dd. neclunt ex Tit. 3. v. Personam, & tit. 26. v. Si minori. 2. F.* Investituram quemlibet accipere posse, nulla sexus, ætatis, conditionis, dignitatis aut qualitatis attentata discriminatione. Ergò quoad sexum feminæ *1. F. 8. §. 2. 2. F. 17. 30. 50. & aliis Rittersh. p. Feud. p. 1. c. 6. n. 3.* quoad ætatem infantes *Anthou. Diss. Feud. 2. th. 6. lit. B.* quoad conditionem filii fam. *Rittersh. p. F. p. 1. c. 6. n. 7. Schneidew. d. F. p. 3. n. 98. v. 3.* Et servi. *2. F. 3. v. Personam,* quoad dignitatem Clerici vel rustici. *2. F. 40. v. Item Si clericus. Wesenbec. d. F. c. 5. n. 2* quoad qualitatem muti, surdi, Cæci, prodigi, furiosi & mente capti veniunt computandi, *Rittersh. d. F. p. 1. c. 6. n. 11. Otto Meland. Controv. feudal. 21. lit. D.*

XXVI. Albo tamen hîc annotandum calculo, quòd horum quidam, cum nullum habeant iudicium consensum-
ve,

ve, ipsi investituram, nisi per tutores vel curatores, accipere ne-
queant. *l. 5. d. R. J. rit. 3. v. sed utrum. 2. F.* Hinc Dominus,
qui imperfectis & ad servitia inhabilibus personis investitu-
ram contulit, sibi imputabit, quod sciens prudensq; Vasallos
non militares elegerit, & ob id vel nulla servitia exigere potest,
vel quia feudi contrahendi causa conventum, nec tamen ita
factum videri potest, ut in persona servirent, inhabilitate sci-
licet obstante; ideo ut res in tuto collocetur, nec actus corru-
at, ut Dominus gratiam fecisse censeatur, quod voluerit, ut vi-
caria opera per alios suppetias ferre valeant. *Andr. d. Ifern. c.*
un. d. Benef. foem. n. 5. in fin.

XXVII. *Quaritur, an Hermaphroditus investiri possit? &*
dicendum quod sic; Cum & ipse in feudo succedat. Bald. c.
unic. d. Alien. feud. patern. Dd. l. 1. C. qua sit long. Consuetud. Gy-
gas in tr. de Crim. Majest. lib. 3. quest. 16. Dicitur vero à Mercurio
& Venere; ἐρμῆς enim Mercurium, & ἀφροδίτην Venerem
significat; aliàs Androgynus. *Liv. libr. 27. Gel. libr. 9. c. 4. in fin.*
ab ἀνδρῶν, quod virum significat, & γυναικῶν, quod mulierem, quia
Hermaphroditus utrumq; sexum, virum scilicet & mulierem
repræsentat. *Ovid. l. 4. Metam.*

*Cujus erat Species, in qua Materq; paterq;
Cognosci possent.*

Ejus tamen sexus æstimatur, qui in eo prævalet. *l. quaritur. d.*
stat. homin.

XXVIII. Quemadmodum verò nulla aliàs regula
est tam firma, quæ non suam aliquando patiatur exceptionem:
ita & hæc nostra suas admittit. Prohibentur enim investituram
accipere omnes illi, quos in consortio suo habere propter il-
lis adhærentem maculam, Domino & Paribus curiæ minùs est
honorificum, *argum. l. 144. d. R. J. 2. F. 37.* quales sunt Hæreti-
ci. *l. 4. C. d. Hæret. excommunicati excommunicatione majori,*
proscripti & banno imperii perculsi. Gail. de Pac. Publ. libr. 2.
C. 12. Usurarii. l. 20. C. ex quibus causis infam. irrogat.

XXIX. *Sed quid de Spurijs censendum? Distingvo: aut*
Spurii re & vita honesti sunt, & tunc nulla infamia laborant,

ideoq; non obstabit illis vitium natalium, quo minus ad investituram aspirare valeant. *l. 3. §. 2. ff. d. Decur. aut sectantur vitia paterna, & tunc pro inhonestis & infamibus judicantur, & consequenter ab investitura arceri possunt. Besold. in De. lib. Juris. ad. libr. 3. p. 277.*

XXX. Res quæ sint, super quibus investitura fieri possit, exprimitur *2. F. 1. ex quo plurimæ sese offerrent discutienda, si volupe mihi esset, ambitiosè in chartis delirare; Sed cum brevitati sit studendum, nonnulla levi saltem, quod ajunt, brachio attingere placet. Et investitura non nisi in rebus soli. 2. F. 1. v. Sciendum, vel solo coherentibus. Jacob d. Ardiz. d. F. C. 27. vel iis, quæ inter immobilia connumerantur. Rittersb. d. F. p. 1. c. 7. n. 1. consistere potest. Ratio est, quod feudum naturâ suâ perpetuum esse debeat, ita ut usufructus ad Vasalli quoq; descendentes perveniat, proprietas verò penes Dominum remaneat. 2. F. 23. in fin. Schneidw. d. F. p. 2. n. 16.*

XXXI. Solum autem, teste Seneca, proprium est JCTORUM verbum. Nam ita *l. 2. natur. quest. ait. Tertia pars de agris; terris, satis, arbutis quærit, & ut JCTORUM verbo utar, de omnibus, quæ solo continentur & JCTI res soli immobiles appellant, quemadmodum ex l. 1. §. 1. de rei vindic. videre licet.*

XXXII. Et rebus immobilibus, utputa ædificiis in feudum concessis, simul quoq; in feudum veniunt, quæ perpetui usus causa ibi sunt: *l. fund. §. Labco. d. Action. Empt.* Et castro in feudum concessio, bombardæ, tormenta bellica & similia, quæ perpetua destinatione ad defendendum castrum ibi posita sunt, in feudum data intelliguntur. *Bald. C. un. §. si quis de manso. n. 4. d. controv. investit.* idemq; dicendum est de omnibus, quæ ad instructionem fundi feudalis pertinent, ut sunt: Equi, boves, vaccæ, oves & similia animalia, quæ ad laborandum & impingvandum fundum necessaria sunt. *Andr. d. Ifern. C. unc. §. Plaustrorum. n. 80.*

XXXIII. Ita demum tamen de rebus soli sive immobilibus investitur, si neq; sacræ fuerint: hæ enim alienari & obligari.

ligari non possunt, excepta causa redemptionis captivorum, quia animæ hominū quibuslibet rebus preciosiores sunt. *l. sanctimus. C. d. Sacros. Eccles.* hinc Achatius, cum multi Christianorum capti essent, suavit, omnia vasa sacra alienari debere, hanc usus ratione, quod Deus neq; vasis neq; poculis indigeret, quia neq; biberet neq; ederet. *Socrat. libr. 7. c. 21.* neq; religiosa; cum locus, qui privati erat, religiosus factus, relinquatur, & nullius esse censetur. *Gell. libr. 4. C. 9.* Neq; publicæ: hæ namq; in usu publico habentur, ut Campus Martius, Theatra, quæ Cassiodorus interpretatur visoria *libr. 4. var. Epistol. ult. & libr. 5. Epist. ad Maxim. Alexander ab Alexandr. libr. 4. Genial. dier. C. 25.* ideoq; de iis investitura fieri nequit; Nec deniq; tales, quarum alienatio lege, ut fundi dotalis. *§. i. f. quibus alien. licet vel non l. un. C. d. rei uxor. action.* prædiorum minorum, toto tit. ff. d. rebus eorum. & tot. tit. C. d. Prædiis & aliis rebus minor. sine decret. non alienand. Bonorum adventitiorum liberorum, in quibus patet usumfructum tantum habet. *l. cum oportet. C. d. bonis quæ liberis.* statuto item vel consuetudine prohibita est; cum ea, quæ consuetudine prohibentur, jure civili prohibeantur. *Bald. l. 1. §. quod observari. C. de Juram. Calum.* Deniq; etiam, quæ testator alienari prohibuit, in feudum cadere non possunt, cum voluntas testatoris pro lege sit habenda. *Novell. 22.*

XXXIV. Dixi supra de rebus solo coherentibus investituram etiam fieri posse; sed coherentes solo dicuntur, quæ ei juncta infixaque, & quasi pars sunt soli, i. e. fundi vel ædium: ut fructus pendentés solo coherent, & sunt pars fundi. *l. fructus pendentés. de rei vindicatione.* Hinc *Matthæus d. Afflict. in Constitut. Sicilia. l. 2. incip. Grandis. column. 3. in 4. notat. scribit,* in confiscatione bonorum mobilium non venire pendentés fructus, cum pars sint soli.

XXXV. Sic solo coherent molendina, & inter res immobiles referuntur, ac ideo in feudum dari possunt. *Beust. in l. admonend. n. 957. circ. fin. d. jurejurand. Wesembec. d. F. c. 7. n. 1. & 6.* quod tamen ad molendina in aquis natantia
Wasser

Wasser: und SchiffMühlen referendum non est, nam hujusmodi molendina, quia solo non coherent, pro mobilibus habentur. *Tiraq. de utrog, retract. in verbis: aut aliis rebus §. 1. gloss. 7. n. 92.* Nec ad ea, quæ ventis agitantur, vulgo Windmühlen. *argum. l. Ticius horreum, de acquirend rerum domin. Beust. d. l.*

XXXVI. Cohærent hoc amplius solo servitutes tam urbanæ, quam rusticæ, vectigalia, item Jurisdictiones & similia; In his siquidem omnibus feudum consistit, eaq; etiam absque solo in feudum dari possunt. *Bald. c. un. §. sciendum, de feud. cognit.*

XXXVII. Tandem investitura consistit in rebus, quæ inter immobilia numerantur. *d. c. un. §. final. de feud. cognit.* Hujus autem generis res complures sunt: *Obert. d. Orto* Primum nominat pecuniam, deinde vinum, oleum, frumentum, & similes res, quæ ex penuario, horreo vel cellario Domini depromuntur, & annuatim feudi nomine alicui conceduntur, quod deinde feudum de Cavena nominatur. Et quidem pecunia, vinum, item oleum & frumentum &c. ratione ærarii, horrei vel penuarii, aut summe capitalis, quæ apud nummularium est, inter immobilia connumerantur, aliàs autem & per se hujusmodi res consideratæ verè mobiles sunt. *Text. in authent. hoc nisi. in princip. ibi, in pecunia vel alia re mobili. C. de solution. nec investitura de iis fieri potest. 2. F. 1. v. Sciendum.*

XXXVIII. Superioribus rebus, quæ inter immobiles connumerabantur, addendi sunt annui redditus. *l. ult. §. Præterea. C. de Jure dos.* quod tamen de iis, quorum dies nondum cessit, & pro quibus exigendis actio nondum competit, intelligendum est. *Tiraq. d. l. Hinc traditum est, annuos redditus à satisfactione excusare, non secus atque possessio immobilium. Cynus in l. Sciendum in pr. & ibi Bart. Colum. ult. v. quero quid sit iste & ibi quog; Bald. qui satisfacere cogantur.* Tenendum tamen, quod non solum loquar de redditibus super rebus immobilibus, sed etiam mobilibus constitutis

tutis, modò sint perpetui, vel sales, qui longo tempore sunt duraturi. *Menoch. l. 2. Cent. 3. C. 233.*

XXXIX. Postremùm inter immobilia connumerantur actiones ad res immobiles competentes; nam eæ censentur immobiles, quemadmodum è contrario, quæ ad res mobiles competunt, mobiles habentur. *Dd. in. l. 2. C. Si adversus transactionem. Bart. in l. potest. de auctoritate tutorum. & hanc sententiam Camera probat Imperialis. Gail. 1. observ. 11. nec non servitutes, quia immobilibus, ut dictum, adhærent. Gail. 2. observ. 11. Roland. à Valle. Consil. 1. n. 128. volum. 3. Schneidw. d. F. p. 2. n. 37. Schultz. in Synops. Feud. c. 6. n. 33.*

XL. Positis hisce, commodè nunc quaeritur i. *Utrum quæ de rebus immobilibus, in quibus solis investitura consistit, dictæ sunt, locum etiam habeant in rebus immobilibus Ecclesiarum? Et se junctis rebus Ecclesiarum à sacris, utique amplexor affirmativam. c. ad nostram. d. rebus Eccles. non alienand. c. unic. d. his qui feudum dare possunt.* Ita tamen, ut si res Ecclesiarum de novo in feudum concedantur, cum consensu Prælati vel Capituli id fiat. *Roland. à Valle. Consil. 15. n. 10. & consil. 3. n. 12. volum. 1. 2. Utrum Episcopus de rebus solitis & consuetis infeudari & ad Ecclesiam reversis, consanguineos etiam & affines suos possit investire? Et dicendum quod sic: Secundum enim naturam quàm maxime est, ut unusquisque proprium sanguinem extraneæ personæ anteponat. l. Cum acutissimi. C. d. Fidei commiss. Dicitur verò res solita & consueta infeudari, si per 40. annos bis infeudata fuerit. Jacob. d. Belu. c. unc. in pr. v. queritur quanto tempore. 3. Utrum Episcopus res ad Ecclesiam reversas cogi possit rursus infeudare, an verò eas Ecclesie suæ bonis incorporare? Et quamvis ad id cogi non possit, Zas. Consil. 13. n. 30. lib. 1. attamen de honestate Ecclesiarum, Prælati res ad eas reversas iterum infeudare debent. Res autem tunc dicitur incorporata mensæ Ecclesie, quando Episcopus expressè eam describi fecit inter reliqua bona mensæ Ecclesie. Jul. Clar. in S. feudum, quest. 13. n. 4. Hinc semel res bonis Ecclesie incorporata non dicitur ampli-*

C

us

us infendari solita. *Alvarott. & alij in c. an. n. 16. d. his qui feud. dare poss.* Et ideo si postea in feudum detur, necesse est ut intercedant de novo solennitates solitae. 4. *Utrum investitura de rebus mobilibus praestita cautione fieri possit? & quatenus nonnulli fieri id suaserint, verius tamen est, ne quidem interveniente ea in hujusmodi rebus investituram constitui posse: non enim possumus rebus mobilibus, ut pecunia, vino, frumento ve uti, quin ipso usu simul infumamus, Aristot. 4. Eth. C. 1. §. Constituitur Institut. d. Usufructu.*

XLI. Investitura etiam, ut obiter id brevissimis attingam, fieri potest de feudo, quod ab alio possidetur, & nondum est apertum. 1. *F. 3. g. 27. in fin. Dn. D. Arum. Disput. feudat. 5. th. 13. vulgò Ein geding. Hartm. Pistor. p. 2. quest. 25. n. 4. Angefall Schneidw. d. F. p. 3. n. 90. Ein gemaden Echn/Expectanz. Anwartsung. Berl. h. b. p. 2. Concl. 53. n. 3.* Et hoc genus investiturae dicitur investitura de caducitate successione, vel expectativa feudorum: numerosumq; Dd. agmen se hstet, qui eam nullo juris (*feudalis excepte*) autoritate roboratam, quia imò pessimis pessimorum hominum moribus in Reipubl. perniciosam invecram, ac proinde ex Theatro juridico procul ad glaciale Oceanum ablegandam elamitant.

XLII. Illa autem hic ordinariam quasi sedem videtur sibi vindicare quaestio: *an conditionalis expectativa investitura fieri eo tempore possit, quo Vasallus possessor prolium multitudinis gaudet* in diversos opinionum anfractus ex innata hominibus ad dissentiendum facilitate. *l. 17. §. 6. d. recept. qui arbit. Dd. abire deprehendo, ut si alicubi, huc certe commo- de illud applicari possit Taubmannianum:*

*Cuiq; suum caput est, ut pileus, approbat Hermes,
Improbat Hermogenes, nec voto vivitur uno.*

Sunt enim qui affirmativae, sunt qui negativae non dubitant adherescere sententiae: Affirmantium castra ut ego sequar, facit sequentis rationis pondus & gravitas, quod scil. *in tit. 3. 1. F. tit. 36. 2. F.* satis expresse dispositum reperitur, quod investitura valere debeat, si collata sit in tempus, quo Vasallus

lus

lus sine liberis pallida morte extinctus, feudumque ad Dominum jure consolidationis per aperturam devolutum fuerit: Sed in investitura fieri eo modo afolet. Ergo utique valebit, etiamsi vel maxime Vasallus sobolem habuerit, quippe utrobique promissio in illud tempus dirigitur, quo Domino feudum fuerit apertum. *Finckelth. diss. F. 7. th. 1.*

XLIII. *Sed queritur quid obtineat, si antequam possessor feudi moriatur, aliam ob causam, puta ob culpam Vasalli feudum Domino aperiatur?* Per distinctionis semitam in hoc bivio progrediendum esse arbitror, an investitura simpliciter facta sit in casum feudi aperti, an verò conditio adjecta, ut possessore sine hæredibus defuncto, ad alium feudum perveniat. Priori casu investitus nihilominus consequitur feudum per culpam apertum. *Carpz. p. 2. Const. Elect. 41. Definit. 3. n. 4.* Posteriori verò non nisi priore Vasallo sine hæredibus defuncto. *Vult. l. 1. c. 7. n. 52. Item an investitus in casum mortis, si ante aperturam feudi deinde decedat, spem, quam ipse habuit, ad hæredes transmittat?* Affirmativè decidendum. *1. F. 9. Wesembec. p. 2. Consil. 64. n. 2.* In tantum, ut etiamsi in investitura eorum non facta fuerit mentio, nihilominus admittantur, cum unusquisque sibi suisque hæredibus prospexisse videatur. *Hartm. Pistor. L. 2. quest. 25. n. 33. Nec non si Dominus, qui investituram de feudo viventis fecit, antequam id aperiatur, moriatur, an hæredes teneantur investituram ratam habere?* Agentium opinio album meretur calculum; Dominus siquidem & Vasallus pari jure judicantur, & statutum in uno porrigitur ad alterum. *argum. tit. 6. §. 26. §. Domino. 2. F.* Sed obligatio à parte Domini transit passivè. *tit. 9. 1. F.* Ergo à parte investiti activè. *argum. §. 4. in fin. Inst. d. verb. obligat. l. 59. ff. eod.*

XLIV. Et hætenus dicta in omni hærede vera sunt, etiam in hærede Clerici, qui Clerico ut hæres succedit, modo feudum illud quod possidet & apertum iri sperat, sit patrimoniale. *tit. 35. 2. F.* at vero si investituram fecerit Episcopus, Abbas vel alius Clericus de feudo Ecclesiastico nondum

dum aperto, & præmoriatur, antequam conditio vel tempus existat, successores ejus, qui in dignitate illa Ecclesiast. ca succedunt, ratam habere investituram non tenentur, cum illi jure electionis tantum succedant. *c. Apost. 8. quest. 1. c. 1. extra. de præbend. c. 2. & Concess. præb. c. 1. extra. de Election.*

XLV. Forma investituræ propriæ collocatur 1. in promissione fidelitatis. Hæc namque qt. Vasalli affectum & fidem, die *Lehnspflicht* / daß er dem Herrn getrew und holdt sein wolle &c. denotat, propria & substantialis est investituræ forma, & ab eadem sine ejusdem destructione abesse non potest. Promittitur autem fidelitas hæcce regulariter per Juramentum, cujus forma omnibus nota.

XLVI. Habetur in Juramento eo contra omnem hominem: *an igitur Vasallus Domino contra seipsum auxiliabitur?* Minimè verò, *c. un. §. fin. d. F.* in generali enim sermone persona loquentis non continetur, nec videtur consensisse in his, quæ sunt contra seipsum. *Rolandus à Valle. Cons. 86. n. 42. volum. 1.* Sed contra parentem valet, si scilicet is Reipubl. nocitura molitus fuerit. Hinc eleganter *Cic. in 5. Philipp. inquit:* Nullæ excusationes sunt, meus amicus est, sit patriæ prius; meus cognatus est, an potest cognatio propior esse quam patriæ?

XLVII. 2. In eo, ut rei feudalis possessio revera & actualiter tradatur. 2. *F. 1. Jacob. d. Mont. Concl. feud. c. 3. n. 1. 3.* ut à Vasallo accipiatur: sine acceptione enim datio est inefficax. *Wesembec. ad ff. d. Donat. n. 44.* Tandem ut adhibeantur testes. *tit. 2. in pr. tit. 32. 2. F. Anton. disput. Feud. 4. th. 6. lit. B.* Testium verò habilitas cognoscitur ex quantitate & qualitate. Quantitas describit numerum, qui hic minimum in dualitate debet consistere. *tit. 26. §. Siquis. 1. F. l. 12. d. Test.* Qualitas residet in tribus: 1. Ut sint masculi non Foeminae. *tit. 32. v. de veteri autem. 2. F. 2.* ut sint liberi non servi. *dict. tit. 38. §. quod autem. 2. F. 3.* ut sint pares curiæ. *tit. 2. §. Si verò. tit. 3. §. 4. pri. 1. F. tit. 32. 2. F.* Pares autem curiæ sunt ejusdem Domini in eodem

eodem territorio Convasalli, sic dicti, non quod pares sint Do-
mino, sed quod inter se pares sint. *Duar. d. Feud. c. 7. n. 3.*

XLVII. Quid verò si Pares investitura tempore absint?
expectandi & ad Dominum citandi sunt 2. F. 33. v. quod autem.
vel si venire nolint, non attenda multa & dictione, aut si sint nimium
remoti, vel si ignoretur ubi locorum degant, aut Pares sint ad testi-
moniam ferendum inhabiles, vel etiam Dominus omninò nullo, & a-
beat? Tunc extranei adhiberi possunt. *Schneidw. p. 4. d. Feud.*
tit. 15. Arum. disp. feud. 10. th. 20. Vult. libr. 1. d. F. c. 7. n. 27.

XLIX. Scriptura, quæ in jure feudali breve dicitur te-
statum, ad investituram necessaria non est. 2. F. 2. pr. *Wesem-*
bec. p. 1. Conf. 9. n. 29. Si vero accedat, an ad confectionem
ejus subscriptio Parium requiratur, quaritur? & dicendum, suf-
ficere instrumentum Domini sigillo roboratum. Unde in fine
investituræ dici consuevit, vnd sind bey solcher Belehnung ge-
wesen vnserer auch liebe getreue vnd Lehns Leute. *Schneidw. d. F. p.*
1. n. 59. Imò vigore modernæ consuetudinis sufficit solum in-
strumentum subscriptione sigilloq; Domini confirmatum.
Hartm. Pistor. lib. 2. quest. 30. n. 11. Quod Dominus deinde Va-
fallo petenti tradere tenetur. *Rosenth. d. Feud. c. 6. concl. 67. n. 1.*
Sicut è contrario Vasallus Domino instrumentum recogniti-
onis feudi. *Schneidw. d. F. p. 5. n. 117.*

L. Quamvis autem Dominus Vasallo quoq; fidelita-
tem debeat. 2. F. 6. in fin. attamen juramentum fidelitatis ab eo
exigi nequit, cum diversa subsit ratio. Dominus enim bene-
ficium conferens Vasallo præsumitur etiam fidem præstiturus
in omnibus. *Finckelth. d. feud. th. 23.*

LI. Præterea in feudo novo nullum tempus investitu-
ræ petendæ est præscriptum, sed arbitrio Domini relinquitur.
Modus autem petendi investituram colligi potest ex 2. F. tit
23. v. quomodo. Scilicet Vasallus cum honoris præfatione hu-
militer, obsequiosè, ac devotè investituram petere debet, ubi
necessarium non est, ut verba hujusmodi adjiciat: fidelitatem
tibi facere paratus sum, cum Vasallus petendo investituram.

tacitè se offerat ad promissionem fidei. *Bocer. d. Invest. c. ult. n. 15.*

LII. Et hæc de forma investituræ propriæ; Abusivæ in eo consistit: I. Ut fiat verbis, non quidem solennibus, sed quibuscunq; voluntatem Domini exprimentibus. 2. F. 2. pr. *Finckelth. disp. feud. 7. th. 2. lit. E.* Ita tamen, ut proferantur coram Patribus curiæ 2. F. 33. II. Ut certa adhibeantur signa, puta hasta, annulus, baculus vel gladius. 2. F. 2. pr. *hinc* olim feuda regalia Principibus secularibus per vexillum, unde *Sahlehn / Ecclesiasticis per sceptrum, unde Scypterlehn / concedebantur. Schulz. d. F. c. 3. n. 82.* qui tamen mos hodiè in desuetudinem abiit, ita, ut Imperator Rom. in feudis Major. per enssem investire soleat. *Finckelth. disp. feud. 7. th. 2. lit. F.*

LIII. Addendum insuper hoc, investituram fieri posse purè, vel in diem, vel sub conditione. *Rosenth. d. F. c. 6. concl. 29. n. 1.* modò conditio sit possibilis. *Vult. lib. 1. d. F. c. 7. n. 45.* Item certa quædam pacta ei addi possunt, quæ omninò servanda. 2. F. 48. Modò illa juri & bonis moribus non sint contraria. *Aruma. Disp. F. 1. th. 41.* Unde pactum illud non valet, si concedatur investitura meretrici, ut Domini libidinem expleat. *Anton. disp. feud. 4. th. 7. lit. G.*

LIV. Finis & effectus investituræ potissimum consistunt in obligatione, quæ nihil aliud est quàm juris vinculum, quo concedens & concessionarius eorumq; hæredes sibi invicem ultro citròq; adstringuntur: Illi quidem ad Feudi constitutionem i. e. in possessionem realem deductionem, nec non fidei observationem. *tit. 26. §. Si facta. tit. 6. v. sed quia. 2. F.* Hi verò ad servitiorum exhibitionem pariter, atq; fidelitatis præstationem. *tit. 3. circa. fin. tit. 23. in fin. 2. F.* quæ quidem cum satis sint liquida & ab interpretibus Juris feudalis latius enucleata, in longiore illorum deductione lubens quiesco.

LV. *Queritur hic, num Vasallus subinfeudare possit, sum Affier lehn ansehen?* quod affirmo per 2. F. 26. §. *Beneficium.* Inscio etiam & invito Domino, 1. F. 9. v. *Si autem.* Tria tamen copulatè requiruntur; 1. Ut subinfeudatus ejusdem sit conditio-

ditionis & qualitatis, cuius est ipse Vasallus. 2. F. 16. v. Benefi-
cium. 2. Ut fraus absit, *Duar. de F. c. 12. n. 13.* 3. Ut iisdem pactis
& conditionibus concedatur, quibus primus Vasallus habet.
2. F. 34. v. Profecto. *Hartm. Pist. p. 2. quest. 44. n. 4.* Nec refert,
an feudum seculare an Ecclesiasticum sit. *Intrigiol. quest.*
feud. 53. n. 231.

LVI. Abusivæ investituræ effectus est, 1. ut Dominus
ad possessionem vacuam tradendam astringatur, *Mynsing. cent.*
4. observ. 61. n. 4. 2. Ut Vasallus propriâ auctoritate, consensu
Domini denegato, possessionem corporalem rei in feudum
concessæ possit ingredi. *Schurff. Cent. 1. Conf. 53. n. 19*

LVII. Commodè hic se ingerit (salebrofa illa multisq;
Dd. disceptationibus nobilitata controversia, *uternam potior*
habendus in casu, ubi Dominus unum investivit, mox verò & alium,
ipsiq; possessionem concessit? Placet posteriori jus prælationis de-
ferre; quamvis ille respectu investituræ verbalis sit posterior,
attamen prior est respectu ipsius juris realis, quod per posses-
sionis traditionem acquisivit. Nec immerito; Posterior enim
duplici vinculo feudum tenet, vinculo scil. investituræ, & tra-
ditionis. Duo autem vincula fortius uno ligant. *Carpz. p. 2.*
Const. Elect. 45. defn. 4. Hartm. Pistor. quest. Jur. 79. n. II. lit. 2.
Schnecht. C. 37. ibi. Wer die rechte gewähr an einem Guch hat
der soll es mit mehren rechten behalten/ den jener/ der der gewähr
darbet.

LVIII. Investitura legitimè peracta hisce potissimum
modis expirat. 1. Si is, qui investitus est, Feloniam com-
mittit: Quia promissio fuit facta ob certam causam, vide-
licet propter fidelitatem, quæ causa in casu commissa Felonia
cum cesset, meritò & ipsa promissio evanescit, sive tanq.
causa non subsecuta, sive tanq. reducta ad non causam. *Ro-*
sent. c. 10. conel. 2. Mattha. de Afflict. n. 13. & 14. 2. Si
Vasallus extrema mortalitatis fata patiat, & nemo su-
perfit alius, cui jus in feudo succedendi competat. 1. F. 5.
v. *Si fidelis. Vult. lib. 1. d. F. c. 11. n. 6.* 3. Si Vasallus
habi-

tum religionis assumserit. *tit. 26. §. quò clericus. tit. 109. 2. F. de-*
gnit enim miles seculi, qui factus est miles Christi. tit. 21. 2. F.
4. Si tota res, super qua investitur, pereat. Wesembec. d. F.
c. 15. n. 2. ob partis enim interitum investitura non extingui-
tur, quamvis servitia moderanda & ex parte remittenda.
Schulz. in Synops. feud. c. 11. n. 82. Et tantùm de primo & prin-
cipali feudum acquirendi modo. Ordo jam posceret ut de
reliquis duobus, successione scilicet, & præscriptione, nonnul-
la etiam adducerem: verùm cum temporis & chartæ prohibe-
at angustia, placet ex utroq; modo corollariorum nomine,
quæstionculam saltem unam & alteram adferre.

LIX. Et I. *quidem utrum filia propter filium natum semel*
exclusa deinceps admitti debeant? Etenim communis est Dd.
sententia, quod fæminæ semel exclusæ perpetuò sint exclusæ,
quamvis ab hac sententia *Jacob. de Belvis. Francisc. Hotemann.*
& nonnulli alii discedant. Hoc tamen ita Dd. intelligunt, si
filius longo intervallo post patrem diem suum obierit: Si ve-
rò filius post obitum patris ilicò fuerit mortuus, filia, quamvis
semel à filio exclusæ fuerit, ad feudi successionem nihilomi-
nus admittatur. Non enim videtur extitisse aut vixisse, qui
ilicò mortuus est. *Jul. Clar. §. Feudum. quest. 80. circ. fin.* Ali-
ud dicendum tamen, si in investitura dictum fuerit, ut donec
masculus superesset, fæmina non succederet; fæmina liqui-
dem ibi temporaliter, non perpetuò, quomodo dictio donec,
quamdiu, quoad, quousq; ; indigitat, censetur exclusæ, & ideò
deficientibus masculis ea admittitur. *Gail. 2. observ. 148. n. 3.*

LX. Quæstionis deniq; est, *an Dominus contra Vasallum*
spacio 30. annor. libertatem præscribere possit? pone, Vasallus mo-
ritur nullis relictis descendantibus, Dominus feudum per 30.
annos quietè tenuit, & quasi ad se reversum possedit: Post an-
nos 30. veniunt nonnulli nobiles se agnatos defuncti jacti-
tantes, & feudum à defuncto relictum tanq. antiquum sive
paternum petentes, quæritur an Dominus præscriptione se tu-
eri possit? & omnino affirmandum. *Matth. d. Affl. in prelud.*
Constit. Neapol. quest. 22. Jas. in Epit. feud. p. 6. n. 33. Mynsing.
cent-

*cent. 4. observ. 28. Sic è contratio dicendum, quod bona feu-
dalia esse definant, si agnatus defuncti Vasalli per annos 30^o
fundum possedit, nulla à Domino feudi petitâ investi-
turâ. Wurmser. d. Feud. obs. 15. v. Sic etiam contra Domi-
num. Plura huc congerere & temporis & chartæ, ut
dictum, recusat penuria: quapropter cum seria; Triu-
vnius Dei Collaudatione de Tabula manum positurus,
claudio dissertationis meæ rivulos Hemi-
stichio illo Modestia
pleno.*

Cedam meliora docenti.

DEO TRISMEGISTO
GLORIA.



NOmen habes longi atq; boni memora-
bile: grator,
Sis vita & feudo longus, & arte bonus.

Christoph. Philip Richter D.
Com. Pal. Cas.

FEuda tuo lustras animo submittere Legi,
ut tibi det Feudum Juno, Themisq; Venus.
Est Astræa prior, quæ tempora clara corona
Cinget, & amplexu dulce fovebit onus.

D

Aneæ

*Aeneæ formosa parens erit altera faulrix
ut tibi vix Helena dispar amica fiet.
Huic bigæ suavi sociabitur ipsaq; Juno
compleat ut numerum triga benigna suum
Omne dabit Juris tibi grata Licentia, nulla
Te suscipiat charitum sic moderante DEO.*

suo J. L.

*summa petenti his se gratulabun-
dum explicat. Gotth.*

*Johann. Volck. M. M.
Licent.*

I*nvestituræ dum Tu solennia monstras,
Vincere nec dubius bella suprema moves,
Arridens Themis; Huic mitram & date cætera, dixit,
Indestituram nam meret ille meam.*

*Clariss. Dn. Doctorando, amicorum
optimò, honoris ergo de-
prop.*

Joh. Leonhardus Kellner.

I*mpiger ut miles, Domini qui castra sequendo
Multa fuit passus, tandem sua dona reportat,
Et capit exculti ditantia jugera fundi.
Non aliter Fautor, post tot tantosq; labores*

Quos

Quos ers in castris Themidos, nunc præmia carpis
Fœmineum feudum, & summum Doctõris honorem.
Grator, & ut bona sint hæc quàm tibi longa precabor.

Consultiss. Dn. Doctorand. fautori
suo colendo facieb.
Johann Riedesel von Ey-
senbach

Languet.

À l'ocyp.

Languet.

LANGUET PAX, studiis pax aurea, digna triumphis,
E contra hæc atas nil nisi bella tonat.

LANGUET jam PIETAS, penè inter mortua res est,
Impietas quæ vult parte nocere, nocet.

LANGUET apud multos Studiosos incluta VIRTUS;
Quæ beat, & doctum tollit ad astra virum.

LANGUET, & artifices omnes, ARS, sola creavit,
Indoctus gignit nil nisi turpe chaos.

LANGUET MVSA, silent Leges, Clariæq; Sorores,
Pauci Pierio sub duce fausta gerunt.

LANGUET apud plures pecuina PECVNIA, honoris
Ut nequeant summum quærere in arte gradum.

LANGUET fraude carens, CANDOR, mens dissona
linguæ,

Crimen hypocriticus cordis & oris habet.

LANGUET NOMEN item propriû, non vanus aruspex;

CIARE VIR, ergo vide, ut cepta secunda feras.

Sed salva hæc res est, in mundo LANGUIDA CUNCTA

Occurrunt, in te CUNCTA DIV BONA sunt,

Pax,

3749.
Pax, PIETAS, VIRTUS, ARS, MUSA, PECUNIA,
CANDOR,
MOMEN, quæ LAURI condecorantq; CAPUT.
CONDECORANTq; CAPUT, rumpantur ut ilia Momi,
Tu modò perpetua præmia laudis habe.

*Hec paucula Boni Nominis,
& optimi ominis gratiâ
prioribus adjecit*

Bernhardus Gottschalck Isenac.
p. t. Trôchterbornensium,
Agri Erfurtini,
Pastor.

F I N I S.




ULB Halle 3
003 260 119




WOM





nsset,
rtus
oto d
imo p
D.Pr
Vulg
Sed f.
s ne
Addi
Asi
Ter for
Ehren
/was
n Gleis
die Ha
er Ku
ch ier
hte ten
st mich
ichter
t seine
gkeit:
ren. 2
n soust
n Absc
h zu l
wohl g
rlohn
erdien
Tuge
de M
nter L



1648, 3 #
Quod Deus Opt. Max. felix fortunatumque
esse velit!

510
12

HANC DISPUTATIONEM JURIDICAM INAUGURALEM
DE
**CONSTITVTIONE
FEUDI,**

Sub Auspicio SSctæ Trinitatis,

ex
Decreto & Autoritate

Magnifici & Amplissimi Jctorum Ordinis in illustri Salana,
PRESIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO atq; CONSULTISSIMO,
**Dn. CHRISTOPHORO PHI-
LIPPO REGTERN/ J. U. D. Comit. Palat.
Cæsar. Codicis Professore Publico celeberrimo,
Consiliario Saxonico, Facultatis Juridicæ Seniore, Curie
Provincialis & Scabinatus Assessore gravissimo,
Promotore & Patrono suo quovis honoris
cultu ætatem prosequendo,**

PRO LICENTIA

In **UTROQUE JURE** obtinendi summum **DOCTORATUS**
gradum,

In Auditorio Jctorum
Publico examini submittit

**JOHANNES LANGUTH, VValtershuf-
nus, Illustr. Curie Saxo-Gothanæ
Advocatus,
ad diem 11. August. horis consuetis.**

JENÆ

E CHALCOGRAPHEO FREYSCHMIDIANO
ANNO M. DC. XLVIII.

